

QVÆSTIONVM SVPER GENESIM

**G**gi seruire militiæ principatu? Accedit etiam quòd Egypti sacerdotes perhibetur non seruisse semper nisi templo deorum suorum, nec aliquid aliud officio egisse. Sed si forte tunc aliter fuit, credat quisquod placet: non tamen est quæstio cuius exitus clausus sit, siue vnus fuerit Petrefres, siue duo, Quodlibet enim horum quisque existimet non est fidei periculosum, nec contrarium veritati scripturarum dei.

**CXXXVII.** Et congregauit Ioseph triticum sicut arenam maris, multum valde quoad usque non potuit numerari, non enim erat numerus: pro eo dictum est, non enim erat numerus, quòd nomen numeri omnis visitati excederet copia illa, & quomodo appellaretur non inueniebatur. Nam vnde fieri potest vt quantumbet magnæ, finitæ tamen, multitudinis numerus non sit? Quauis hoc potuerit etiam secundum hyperbolen dici. Et commemoratus est Ioseph summiorum suorum quæ vidit ipse, adorauerant enim eum fratres sui, Sed aliquid in illis somnijs excelsum inquirendum est: Non enim potest eo modo de patre eius ac matre compleri, quæ iam mortua fuerat, quod de Sole & Luna cum vidisset, à patre increpante audierat qui vivebat. Quid est quòd

**CXXXVIII.** Ioseph vir tam sapiens, atque ita non solum hominum inter quos vivebat testimonio, sed ipsa etiam scriptura teste laudatus, ita iurat per salutem Pharaonis, non exituros de Egypto fratres suos, nisi fratrum eorum minor venerit. An etiam bono & fideli viro vilis fuerat salus Pharaonis, cui fidem sicut primitus domino suo seruabat in omnibus? Quanto enim magis ipsi qui eum in tanto honore locauerat, si illi seruauit fidem qui eum seruum emptitium possidebat. Quòd si non curabat Pharaonis salutem, nunquid & periculum pro cuiuslibet hominis salute vitare non debuit? An non est perurium? Tenent enim vnum eorum donec veniret Beniamin, & verum factum est quod dixerat, non exhibitis hinc nisi venerit frater vester: Ad omnes enim non potuit pertinere quod dictum est: Nam quomodo esset ille venturus, nisi ad eum ducendum aliqui redissent? Sed quod sequitur magis vrget quæstionem, vbi iterum iurauit dicens, Mittite ex vobis vnum, & adducite fratrem vestrum: vos autem non educemini quoad usque manifesta sint verba vestra si vera dicitis an non: sin autem, per salutem Pharaonis exploratores estis: id est, si non vera dicitis, exploratores estis. Huic sententiæ interposuit iurationem, quia si vera non dixerant, exploratores essent, id est exploratorum poena digni essent, quos tamen vera dicere sciebat. Neque enim perurium est quisque si ei quem castissimum nouit dicat, si hoc adulterium de quo argueris commisisse, damnat te deus, & his verbis adhibeat iurationem, verum omnino iurat. Ibi est enim conditio qua dixit, si fecisti, quem tamen non fecisse certum habet. Sed ait aliquis, verum est, quia si fecit adulterium damnat illum deus: hoc autem quomodo verum est, si non verum dicitis, exploratores estis, cum etiam si mentiantur, non sint exploratores? Sed hoc est quod dixi, ita dictum esse, exploratores estis, tãquam si dictum esset, exploratorum poena digni estis, hoc est, exploratores deputabimini merito mendacii vestri. Estis autem, potuisse dici, pro habebimini & deputabimini, innumeræ similes locutiones docent.

**3. Reg. 18.** Vnde est illa Helix. Quicumque exaudierit in igne, ipse erit deus, Non enim tunc erit, sed tunc habebitur. **CXL.** Quid est quòd cum inter se poenitentes filij Israël, loquerentur de fratre suo Ioseph, quòd cum illo male egerint, & hoc eis diuino iudicio redderetur quòd se periclitari videbant: adiungit scriptura & dicit, Ipsi ignorabant quòd audiebat Ioseph: interpres enim inter illos erat. Hoc scilicet intelligendum est, ideo eos putasse, quia ille non audierat, quòd videbatur

interpretem qui inter illos erat nihil ei dicere eorum quæ loquebantur: nec ob aliud adhibitum putabant interpretem, nisi quòd eorum linguam ille nesciret: nec cura erat interpretis ea dicere illi à quo positus fuerat, quæ non ad illum, sed inter se loquebantur.

**CXLI.** Et iterum accessit ad eos & dixit illis: nec adiungit quid illis dixerit, Vnde intelligitur hæc eadem dixisse quæ dixerat. Et deducetis senectam meam cum tristitia ad infernum. Vtrum ideo ad infernum, quia cum tristitia? An etiam si abesset tristitia, tanquam ad infernum moriendo descendurus hæc loquitur? De inferno enim magna quæstio est, & quid inde scriptura sentiat, locis omnibus vbi forte hoc commemoratum fuerit, obseruandum est.

**CXLIII. 1** Quod à præposito domus audiunt, Deus vester & deus patrum vestrorum dedit vobis thesauros in faccis vestris, argentum autem vestrum probatum habeo: mendacium videtur, sed aliquid significare credendum est. Argentum enim quod & datur & non minuitur, quia & probatum appellati est, numirum illud intelligitur de quo alibi legitimus, Eloquia domus ni eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum: id est, perfecte.

**CXLIII. L** Biberunt autem & inebriati sunt cum eo. Solent hinc ebriosis adhibere testimonij patrocinium, non propter illos filios Israël, sed propter Ioseph qui valde sapiens commendatur: sed hoc verbum & pro satietate solere poni in scripturis, qui diligenter aduertit, multis in locis inueniet. Vnde est illud, Visitasti terram & inebriasti eam, multiplicasti ditare eam: eo quòd in laude benedictionis hoc positum est & donum dei commemoratur, apparet hanc ebrietatem satietatem significare. Nam ita inebriari vt inebriantur ebriosis, nec ipsi terræ vtile est, quoniam maiore quàm satietati sufficit humore corruptitur, sicut vita inebrioforum qui non satietate se replent, sed mergunt diluuiò. **CXLV.** Quòd ait fratribus suis Ioseph, Nesciebatis quia augurio auguratur homo qualis ego: de hoc augurio etiam mandauit eis dicens: pro homine suum: quid sibi velit, quærit solet: an quia non serio sed ioco dictum est, vt exitus docuit, non est habendum mendacium. Mendacia enim à mendacibus serio aguntur non ioco. Cum autem quæ non sunt tanquam ioco dicuntur, non deputantur mendacia. Sed magis mouet quid sibi velit ista actio Ioseph, quia fratres suos, donec eis aperiret quis esset, totiens ludificauit & tãta expectatione suspendit: quod licet tanto sit suauis cum legitur, quanto illis sit inopinatus cum quibus agit, tamen sapientia illius grauitate, nisi magnum aliquid isto quasi ludo significaretur, nec ab illo fieret, nec ea scriptura contineretur in qua est tanta sanctitatis autoritas & prophetandum tanta intento futurorum: quam modo exequi exponendo non suscepimus, sed admodum tantum volumus quid hic oporteat inquiri. Nam nec illud vacare arbitror, quòd non ait auguror ego, sed auguratur homo qualis ego. Quod si locutionis genus est, in scripturæ corpore simile aliquid reperendum est.

**Gen. 44** Non negligerent considerandum puto, tantam miseriam in hac perturbatione fratrum suorum quos Ioseph quandiu voluit tenuit, & quanta voluit mora protraxit: non eos vtique faciens calamitosos, quando tantæ etiam ipsorum futuræ letitiæ exitum cogitabat: & totum hoc quod agebat vt eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur: tanquam non essent condignæ passionibus eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis quæ in eis fuerat reuelanda, fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabantur. Multa in narratione Iudæ aliter dicta sunt quàm cum illis egerat Ioseph, quauis apud eum loqueretur, vt omnia

**CXLVI.** Non negligerent considerandum puto, tantam miseriam in hac perturbatione fratrum suorum quos Ioseph quandiu voluit tenuit, & quanta voluit mora protraxit: non eos vtique faciens calamitosos, quando tantæ etiam ipsorum futuræ letitiæ exitum cogitabat: & totum hoc quod agebat vt eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, vt eadem dilatione cumularetur: tanquam non essent condignæ passionibus eorum in toto illo tempore quo turbabantur, ad futuram gloriam exultationis quæ in eis fuerat reuelanda, fratre cognito, quem à se perditum esse arbitrabantur. Multa in narratione Iudæ aliter dicta sunt quàm cum illis egerat Ioseph, quauis apud eum loqueretur, vt omnia